

BIBLIOTHECA  
SCRIPTORVM GRAECORVM ET ROMANORVM  
TEUBNERIANA

AMBROSII THEODOSII MACROBII  
SATVRNALIA

APPARATV CRITICO INSTRVXIT  
IN SOMNIVM  
SCIPIONIS COMMENTARIOS  
SELECTA VARIETATE LECTIONIS ORNAVIT

IACOBVS WILLIS

EDITIO CORRECTIOR  
EDITIONIS SECVNDAE (MCMLXX)  
CVM ADDENDIS ET CORRIGENDIS



STVTGARDIAE ET LIPSIAE  
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI MCMXCIV

## PRAEFATIO

BENEVOLVM LECTOREM SALVERE IVBET  
IACOBVS WILLIS

Cum desint mihi cetera, lector, quibus tibi placeam, temptabo, si potero, vel brevitate placuisse. codicibus sum usus his:

**N**, Neapolitano VB 10, saeculi noni ineuntis, septem Saturnaliorum libros usque ad lib. 7. 5, 2 continente;

**D**, Bodleiano Auct. T II 27, saeculi noni exeuntis, ut videtur, qui habet priores tres Saturnaliorum libros usque ad 3. 4, 9, necnon commentarios in Somnium Scipionis et ipsum Somnium;

**P**, Parisino 6371, saeculi undecimi, omnes Saturnaliorum libros et in Somnium Scipionis commentarios continente;

**T**, Matritensi Escorial. Q. I. 1, saeculi quintidecimi, omnes Saturnaliorum libros continente;

**M**, Montepessulano 225, saeculi noni, qui liber incipit l. 12, 21 et pergit usque ad finem libri Saturnaliorum tertii;

**B**, qua littera duo codices significantur – in Saturnalibus est Bambergensis M. L. V. 5 n. 9, saeculi noni, priores tres Saturnaliorum libros usque ad 3. 19,5 continens; in Commentariis est Bambergensis M. IV 15. F n. 4, saeculi undecimi, commentarios et ipsum Somnium continens;

**V**, Vaticano Reginensi 1650, saeculi decimi, ut videtur, priores tres Saturnaliorum libros integros continente;

**Z**, Matritensi Escorial. E. III 18, omnes Saturnaliorum libros continente, ita tamen ut primus liber usque ad o. 17, 6 manu duodecimi vel tertiidecimi saeculi exaratus

videatur et, si lectionum indolem respicias, minime sperni debeat, cetera vero et manu multo recentiore scripta sint et erroribus foedissimis scateant, unde in primo tantum libro a me adhibitus est;

**R**, Vaticano Reginensi 2043, omnes Saturnaliorum libros usque ad 7.14.11 continente, saeculi decimi (ex hoc libro descriptus fuit Laurentianus plut. 51 n. 8 saeculi tertiidecimi, unde vicissim profluxit Bodleianus Dorvill. 93, quos diligentissime excussos demum negligendos esse indicavi);

**F**, Florentino Laurentiano, plut. 90 sup. 25, saeculi duodecimi, omnes Saturnaliorum libros continente;

**A**, Anglico vel Cantabrigiensi, nunc bibl. univers. 260, omnes Saturnaliorum libros continente, cuius lectiones Is. Pontanus tam insigniter e mentitus est;

**S**, Parisino 6370, commentarios in Somnium Scipionis, at non ipsum Somnium continente, saeculi noni;

**E**, Parisino n. a. 16677, saeculi noni ineuntis, duos commentariorum libros et ipsum Somnium usque ad 3, 3 continente;

**C**, Cottoniano Faustini. C. I Musei Britannici, commentarios et Somnium Scipionis continente.

Inter hos libros quae fuerit cognatio olim disserere temptavi apud Museum Rhenanum novae seriei centesimum, p. 152–164; tamen ne hic quidem parcam quin aliqua de eis dicam.

**N** magni pretii est propter antiquitatem et scribae fidelitatem: scripsit enim hunc librum homo si quis alius litterarum expertus, ita ut quae se ante oculos habere putaret, nulla cunctatione exscriberet, nihil suo Marte corrigeret. quae monstra verborum non abhorruerit, unaquaeque pagina te docebit, cum **N** saepissime concinit **D**, aequa paene fidelitate, at non tam crassa ignorantia exaratus. horum librorum concordia saepe bonae et antiquae lectiones stabiliuntur, quas ceterorum temeritas exterminavit. qui **P** scripsit, sane Latinae linguae non ignarus fuit: saepe enim pro verbis verba idem significantia ponit, ut *appellat pro vocat, arbitrat pro iudicat, exhortatione pro hortatu* et similia. ita fit ut soli **P** cautius sit fidendum,

quamquam, ut vera confitear, si unus tantum Saturnaliorum codex servandus esset, hic certe tanto honori esset deligendus.

Et hi quidem tres omnia Graeca exhibent, quod vel solum inter libros Macrobianos laudem meretur: **T** autem Graeca fere omittit, spatiis tamen competentibus relictis, ut videatur illud exemplar ex quo descriptus est Graeca omnia habuisse. hic illic quidem Graeca addita sunt, manu sane neoterica, cum accentibus et spiritibus satis recte, cum in ceteris libris litteris maiusculis exarata reperiantur. **T** non parum contaminatus est, sed ita saepe cum **NDP** congruit, ut egregiae familiae vel degenerem filium libenter asciverim.

**M** antiquus est, non bonus; nam satis saepe scriba ex abundantia sui ingenii quaedam mutavisse mihi videtur; Graeca complura omittit. **B** satis notus est, quem nimis magni aestimavisse videtur Eyssenhardt: certe aliquas lectiones ex contaminatione vel ex mera coniectura habet. huius frater germanus est **V**, quem equidem neque minoris neque maioris quam **B** aestimaverim. his **MBV** accedit **Z**, vel saltem prima pars eius, mire congruens cum **B**, ita tamen ut ex **B** vix possit esse descriptus. videntur omnes hi libri ex uno archetypo profluxisse, qui et Graeca omnia exhibuerit et ultra tertium librum non sit progressus.

**RFA** arcte coniuncti sunt, ex quibus facilius quem minimi, quam quem maximi aestimem, possim dicere. **R** paulo antiquior est quam **F**, sed tamen Graeca multa omittit quae **F** aut tota aut paulo pleniora exhibet. **A** vero neque doctus neque honestus homo scripsit — quam mala fide scripserit videbis lib. 6, 7, 9 — unde si quis post me Macrobius ediderit, hortor hunc librum omnino contemnat.

Et in Saturnalibus edendis discere potui quae ratio cognationis inter diversos libros manuscriptos intercederet: in Commentariis in Somnium Scipionis idem non licuit. inanes enim illae de anima et de sphaerarum concentu et de septenario numero cantilenae adeo medii aevi hominibus in deliciis fuerunt ut nihil paene libentius exscripse-

## PRAEFATIO

rint. scilicet in omnibus monasteriis si quis frater reperiebatur adeo inutilis, adeo nec sibi nec alteri (ut dicitur), ut ne terram quidem versare sciret, sine mora is Macrobio exscribendo deputabatur. itaque in tanta omnium contaminatione eas lectiones secutus sum quae et maxime Macrobianae mihi viderentur et quae facillime a monachis corrumpi potuisse viderentur. saepe enim evenit ut unus tantum liber adhuc genuinam lectionem retineat, sed et illam variis lectionibus nugacissimis circumvallatam. unde si cui videar magis quam par est iudicio meo indulsisse, velim ignoscat et ceteros quam primum doceat quaenam melior ratio sit sequenda.

Iamiam dimittendus es, lector: paucissima enim restant dicenda. in apparatu meo minutias quasdam orthographicas neglexi, ut *ae* et *e* et *q* confusa et siquid in interpunctione a librariis peccatum est. in nominibus propriis vero et in Graecis ne minimam quidem varietatem tacitus praeterii. in iis locis ubi pristina codicum lectio correctionem subiit, *N'*, *D'* etc. notat lectionem correctione antiquiorem, *n*, *d* etc. eam lectionem quam correctrix manus induxit. in Graecis necesse fuit singulis locis primum dicere qui codices ea haberent, qui omnino omitterent, qui partem tantum exhiberent. quae res si lectori turbas dabit, vehementer dolebo: sed firmiter credo difficultatem eam in ipsis rebus inhaerere, nec omnino posse vitari. quos codices secutus sim, in unaquaque pagina notavi.

Solent quidam in prolegomenis vel sui laudem vel priorum editorum vituperationem inducere. ego num quid bene fecerim, tu, lector, iudicabis: de eis qui ante me Macrobius ediderunt, duo tantum dixerim, Ludovicum Ian ita editionem suam comparavisse ut priorum omnium editionum aequo animo possemus ferre iacturam; Franciscum Eyssenhardt, licet tres tantum codices inspexerit, ea sedulitate inspexisse ut, cum ipse codices illos denuo contulisset, vel paucissima ab eo perperam relata compererim. Vale, lector, et his studiis fave.

Dabam Londinii a. d. VI Kal. Ian., anno MCMLX.

J. W.

## LIBER QVINTVS

1 Post haec cum paulisper Eusebius quievisset, omnes  
inter se consono murmure Vergilium non minus oratorem  
quam poetam habendum pronuntiabant, in quo et tanta  
orandi disciplina et tam diligens observatio rhetoricae  
2 artis ostenderetur. et Avienus, 'dicas mihi,' inquit, 'volo, 5  
doctorum optime, si concedimus, sicuti necesse est orato-  
rem fuisse Vergilium, siquis nunc velit orandi artem  
consequi, utrum magis ex Vergilio an ex Cicerone pro-  
3 ficiat?' 'video quid agas,' inquit Eusebius, 'quid intendas,  
quo me trahere coneris, eo scilicet quo minime volo, ad 10  
comparationem Maronis et Tullii. verecunde enim inter-  
rogasti uter eorum praestantior, quando quidem neces-  
sario is plurimum collaturus sit qui ipse plurimum prae-  
4 stat. sed istam mihi necessitatem altam et profundam  
remittas volo: quia non nostrum inter illos tantas com- 15  
ponere lites, nec ausim in utramvis partem talis sententiae  
auctor videri. hoc solum audebo dixisse, quia facundia  
Mantuani multiplex et multiformis est et dicendi genus  
omne complectitur. ecce enim in Cicerone vestro unus elo-  
quentiae tenor est, ille abundans et torrens et copiosus. 20  
5 oratorum autem non simplex nec una natura est, sed hic  
fluit et redundat, contra ille breviter et circumcise dicere  
adfectat; tenuis quidam et siccus et sobrius amat quan-  
dam dicendi frugalitatem, alius pingui et luculenta et  
florida oratione lascivit. in qua tanta omnium dissimi- 25  
litudine unus omnino Vergilius invenitur qui eloquentiam

15 eclog. 3. 108

[NPT RFA] 9 videas P' || 14 altam et profundam om. P ||  
20 abundans NP || 21 nec] non NPT [ortasse recte || 25 dissimu-  
latione R

ex omni genere conflaverit.' respondit Avienus: 'apertius 6  
vellem me has diversitates sub personarum exemplis  
doceres'. 'quattuor sunt', inquit Eusebius, 'genera dicen- 7  
di: copiosum in quo Cicero dominatur, breve in quo Sallu-  
6 stius regnat, siccum quod Frontoni adscribitur, pingue et  
floridum in quo Plinius Secundus quondam et nunc nullo  
veterum minor noster Symmachus luxuriatur. sed apud  
unum Maronem haec quattuor genera reperies. vis audire 8  
illum tanta brevitate dicentem, ut artari magis et con-  
10 trahi brevitatis ipsa non possit?

et campos ubi Troia fuit. . . .

ecce paucissimis verbis maximam civitatem hausit,  
absorpsit, non reliquit illi nec ruinam. vis hoc ipsum co- 9  
piosissime dicat?

15 venit summa dies et ineluctabile tempus  
Dardaniae: fuimus Troes, fuit Ilium et ingens  
gloria Teucrorum. ferus omnia Iuppiter Argos  
transtulit: incensa Danai dominantur in urbe.  
O patria, o divum domus Ilium, et inclita bello 10  
20 moenia Dardanidum! . . .  
Quis cladem illius noctis, quis funera fando  
explicet aut lacrimis possit aequare dolorem?  
urbs antiqua ruit multos dominata per annos.

quis fons, quis torrens, quod mare tot fluctibus quot  
25 hic verbis inundavit? cedo nunc siccum illud genus elo- 11  
cutionis:

Turnus ut ante volans tardum praecesserat agmen,  
viginti lectis equitum comitatus et urbi  
improvisus adest: maculis quem Thracius albis  
30 portat equus cristaque tegit galea aurea rubra.

11 Aen. 3. 11 || 15 ib. 2. 324 || 19 ib. 2. 241 || 21 ib. 2. 361 ||  
27 Aen. 9. 46

[NPT RFA] 3 Eusebius] eius A' || 9 illum om. R | contra A ||  
11 campo sub troia NP | fumat A' || 12 ausit NR' || 13 ante ab-  
sorpsit addunt et vulgo, quod deest in codd. | ille RFA || 16 illum N,  
illum P || 29 thracius NPFA, thracius R || 30 cristaque NA



12 hoc idem quo cultu, quam florida oratione, cum libuerit, profertur?

forte sacer Cybelae Choreus olimque sacerdos  
insignis longe Phrygiis fulgebat in armis,  
spumantemque agitabat equum, quem pellis aenis  
in plumam squamis auro conserta tegebat.  
ipse peregrina ferrugine clarus et ostro  
spicula torquebat Lycio Gortynia cornu . . .  
pictus acu tunicas et barbara tegmina crurum.

13 sed haec quidem inter se separata sunt. vis autem videre  
quem ad modum haec quattuor genera dicendi Vergilius  
ipse permisceat et faciat unum quoddam ex omni diver-  
sitate pulcherrimum temperamentum?

14 saepe etiam steriles incendere profuit agros  
atque levem stipulam crepitantibus urere flammis:  
sive inde occultas vires et pabula terrae  
pinguia concipiunt, sive illis omne per ignem  
excoquitur vitium atque exudat inutilis humor,  
seu plures calor ille vias et caeca relaxat  
spiramenta, novas veniat qua sucus in herbas,  
seu durat magis et venas adstringit hiantes,  
ne tennes pluviae rapidive potentia solis  
acrior aut Boreae penetrabile frigus adurat.

15 ecce dicendi genus quod nusquam alibi deprehendes, in  
quo nec praeceps brevitatis nec infructuosa copia, nec ieiuna  
siccitas nec laetitia pinguis.

16 Sunt praeterea stili dicendi duo dispari moralitate diver-  
si. unus est maturus et gravis, qualis Crasso assignatur. hoc  
Vergilius utitur cum Latinus praecipit Turno:

3 Aen. 11. 768 || 14 Georg. 1. 84

[NPT RFA] 3 choreas P' || 4 frigiis NPR, phrygiis A || 5 aenis  
NRF, aenis t, om. A' || 6 in plumam squamis T et vulg., om.  
cett. || 8 lycio PR || Gortynia vulg., cortinia TA, gortynia cett. ||  
18 excoquitur R || 19 relaxet R || 24, 25 in quo om. R' || 27 mor-  
talitate T

o praestans animi iuvenis, quantum ipse feroci  
virtute exsuperas, tanto me impensius aequum est  
consulere . . .

et reliqua. alter huic contrarius ardens et erectus et infen-  
sus, quali usus est Antonius. nec hunc apud Vergilium  
frustra desideraveris:

. . . haud talia dudum  
dicta dabas. morere et fratrem ne desere frater.

videsne eloquentiam omnium varietate distinctam? quam  
quidem mihi videtur Vergilius non sine quodam praesa-  
gio, quo se omnium profectibus praeparabat, de industria  
permiscuisse idque non mortali sed divino ingenio  
praevidisse: atque adeo non alium secutus duces quam  
ipsam rerum omnium matrem naturam, hanc praetexuit  
velut in musica concordiam dissonorum. quippe si mun-  
dum ipsum diligenter inspicias, magnam similitudinem  
divini illius et huius poetici operis invenies. nam qualiter  
eloquentia Maronis ad omnium mores integra est, nunc  
brevis, nunc copiosa, nunc sicca, nunc florida, nunc simul  
omnia, interdum lenis aut torrens: sic terra ipsa hic laeta  
segetibus et pratis, ibi silvis et rupibus hispida, hic sicca  
harenis, hic irrigua fontibus, pars vasto aperitur mari.  
ignoscite nec nimium me vocetis, qui naturae rerum Ver-  
gilium comparavi. infra ipsum enim mihi visum est, si  
dicerem decem rhetorum qui apud Athenas Atticas flo-  
ruerunt stilos inter se diversos hunc unum permiscuisse.

Tunc Evangelus irridenti similis, 'bene', inquit, 'opi-  
fici deo a rure Mantuano poetam comparas quem Graecos  
rhetoras, quorum fecisti mentionem, nec omnino legisse  
adeveraverim. unde enim Veneto rusticis parentibus nato,  
inter silvas et frutices educto, vel levis Graecarum notitia

1 Aen. 12. 19 || 7 ib. 10. 599

[NPT RFA] 2 me om. NPT' || 3 ante consulere add. usus R ||  
6 desiderabilis N || 11 post industria add. sua P || 13 duces secu-  
tus R || 15 sonorum P || 18 ad] et A' || 24 comperativi corr. com-  
peravi A || 25 athena N, athenas T' || 26 post permiscuisse add.  
De rhetoricis (reth-) observationibus virgilii finit NTRFA ||  
29 rhetores (reth-) TR || 31 educta P', conducto T'